



Disputatio Theologica de Peccato ad Mortem de quo 1 Joh. V. vs. 16. 17. agitur

Bremæ: Typis Vidvæ B. Herm. Christ. Jani, [1743]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1852963484>

Druck Freier  Zugang






Hob

a. B.

48. b. 8.

19

Fa-1092 (19.)



12.

DISPUTATIO THEOLOGICA
de
Peccato ad Mortem

de quo
I Joh. V. vs. 16, 17.
agitur,

quam

FAVENTE DEO

Præside

NICOLAO NONNEN

S. Th. D. Prof. P. O. ac in Æde Mariana Pastore,

defendet

**ANTHONIUS WILHELMUS
CRAMER,**

Vareliis-Oldenb. SS. Th. Cultor.

die Jovis 20. Junii MDCCXLIII.

H. L. Q. S.

B R E M Æ,

TYPIS VIDVÆ B. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS
GYMNASII TYPOGRAPHI.

DISPUTATIO THEOLOGICA
de peccato ad mortem
JOH. M. VON WITTE
FACIT ANNO 1700
NICOLAUS NONNEN
ANTHONIUS WILHELMUS
CRAMER
die Jovis 20 Junii MDCCXXIII
H. L. G. S.
BREMEN
TYPIS VIDERI CAROL. J. G. OGDON H. VESTER
GYMNASII TYPOGRAPHI

VIRIS,

QUOS BREMÆ VENEROR,

*Amplissimis, Consultissimo, perquam Venerando, Celeber-
rimo, Prudentissimo*

D O M I N O

JOHANNI NONNEN,

Magnario inter præcipuos Florentissimo, Amplissimi Senatus
hujus Reipublicæ Membro Dignissimo; Fautori omni honoris
genere per omnem vitam prosequendo.

D O M I N O

JOHANNI COCH,

U. J. D. Senatori Meritissimo, ut & Ærarii publici Præfecto
Vigilantissimo: Patrono omni reverentia nunquam non
colendo,

D O M I N O

NICOLAO NONNEN,

SS. Th. D. nec non ejusdem Professori Clarissimo, in Æde
Mariana Ecclesiastæ Disertissimo, hujus Dissertationis Præsidi Gravif-
simo, studiorum meorum Promotori singulari ratione pie atque
submisse ætatem devenerando,

D O M I N O

JOHANNI NONNEN,

Negotiatori Felicissimo; Diacono in Coetu Martiniano Fide-
lissimo; Favitori maximopere semper Honorando.

Respondens

Nec

Nec non,
QUOS IN PATRIA COLO,
VIRIS

Generoso, plurimum Reverendis, Nobilissimo

DOMINO

JOH. HERMANNO DAELHAUSEN,

Illustrissimi S. R. I. Comitis à Bentinck, &c. &c. Judici Provinciali in Dynastia Kniphusiana Gravissimo, Mæcenati omni observantia colendo.

DOMINO

WILHELMO HENRICO BURGER,

Pastori in Aula Vareliensi Facundissimo atque pio; Avunculo omni veneratione æssimando,

DOMINO

ARNOLDO GODTFR. AB HALEM,

Illustrissimo Comiti à Bentinck, reliqua, à Secretis Cameralibus; Avunculo jugiter obsequentissime suspiciendo.

DOMINO

JOH. REINHARDO CRAMER,

Ecclesiæ, quæ Jesu Christo Accumi in Dynastia Kniphusiana colligitur, Pastori Primario; Parenti Optimo ad cineres pie honorando.

*Ob innumera beneficia atque favoris innumeri signa hanc
Dissertationem in grati animi tesseram omni, qua par
est, observantia*

facram facio


Respondens.



Disputationis Theologicae
de
Peccato ad Mortem
ad I. Joh. V, 16. 17.

ARGUMENTUM.

§. 1. Dissertationis ordo. §. 2. *Questiones quae circa dictum moventur.* §. 3. *Principium dignoscendi peccatum ad mortem, primum adducitur, parallela V. T.* §. 4. *Secundum, lex oppositionis, vitæ nempe quæ morti contradistinguitur.* §. 5. *Tertium, certam classem peccatorum indicari.* §. 6. *Reliqua subjunguntur.* §. 7. *Laudantur Viri docti qui de morte temporali cogitarunt.* §. 8. *Collatio instituitur cum Num. XVIII. vs 22. atque ibi mortem temporalem indicari, evincitur.* §. 9. 10. 11. *Removentur objectiones quæ contra indicatam phraseos paralleliam possent moveri.* §. 12. *Ostenditur, vitam morti oppositam, in dicto, esse temporalem.* §. 13. *Difficultates quæ premunt illos qui vitam spirituales aut æternam indicari putant, recensentur.* §. 14. *De vita & morte temporali in dicto agi demonstratur ex nexu cum præcedentibus.* §. 15. 16. *Atque ex ritibus ecclesie primitivæ.* §. 17. *Removentur quæ ex traditione Herma opponuntur.* §. 18. *Interpretatio nostra ex meliori traditione, petita ex Testamentis XII Patriarcharum adstruitur.* §. 19. *Wolfg. Franzii ex reliquis contentis epistola prolata argumenta pro vita & morte spiritali atque æterna, refelluntur.* §. 20. *Inquiritur in peccatorum ad mortem formam.* §. 21. *Ostenditur Deum transgressiones decalogi pœnis temporalibus punire, nec tamen illas hoc peccatum constituere.* §. 22. *Neque abusum sacra*
A Cœna



Cœna esse peccatum ad mortem 1 Cor. XI. §. 23. Species alia peccatorum, quæ ad mortem fuerunt considerantur ex Aët. V. Num. XXVII. & Num. XIV. §. 24. Talia peccata potuisse committi in primitiva Ecclesia ostenditur. §. 25. Formale illius inde deducitur, matura nempe contra Deum & Gnosticorum vitia. §. 26. Adstruitur ex Ignatii epistolæ. §. 27. An adhuc possint committi? §. 28. Inquiruntur in alias species, quas alii pro peccatis ad mortem habent.

§. I.



Inter sacræ scripturæ *divortia*, dictum 1 Joh. V. 16. 17. non ultimum est. Divortia sententiarum circa illius sensum, tot deprehenduntur, ut in illis recensendis & sub examen vocandis plus chartæ & operæ esset impendendum, ac alioquin ad opus bonæ frugis cum orbe erudito communicandum requiretetur, præsertim quoniam ex multorum sententia hoc peccatum, illud ipsum est, cui veniam remissionis nec in hoc nec in alio mundo, concedendum esse, sanctissimus Servator edixit. Nos de aliorum sententiis non adeo erimus solliciti, quæ nostram, quam putamus ex regulis bonæ interpretationis fluere, asseremus, præcipuas tamen aliorum postea indicaturi, & paucis exacturi ad principia expositionis, quæ antea adstruemus, tanquam ad lapidem lydium.

§. II.

Quæritur cum maxime quænam mors sit intelligenda, ex omnis mortis generibus, quæ in sacris commemorantur, an æterna an spiritualis an temporalis. Quæritur præterea quodnam vel quænam illa sint peccata, distincta ab hoc, quibus spes veniæ est concessa atque pro quorum remissione precari licet. Emergunt inde aliæ considerationes; Quinam scilicet isti fratres tale peccatum committentes sint, an sodales in cœtu qui Christum ore confitebantur,




tur, an regenti; undenam porro notitia istorum peccato-
 rum manaverit ad Christianos atque quomodo illi discer-
 nere potuerint venialia peccata à mortalibus, denique num
 adhucdum obtineat ista Dei dispensatio, numque regula
 Apostoli adhucdum pios & Ecclesiam obliget. Omnium
 decisio pendet à recta notitia indolis peccati ad mortem,
 quam si e sacris eruerimus, minor difficultas supererit in
 declarandis reliquis,

§. III.

Principia quædam interpretationis dicti Johannei & ge-
 neralia & specialia præmittemus, est quibus species mortis
 atque peccati quod ad illam ducere dicitur, est digno-
 scenda, & ad quorum cynosuram veritas est investiganda,
 atque quid de aliis sententiis statuendum sit, dijudican-
 dum. PRIMUM est, *Phrasis Johannei, ex stylo & parallelis*
V. T. est explicanda atque illustranda. Puto satis constare at-
 que apud interpretes in confesso esse, scriptores N. T.
 imitari styllum Veteris. Quando igitur in Novo deprehen-
 dimus loquutiones & notiones consonas illis quæ in Veteri
 occurrunt, & quidem elatas & constructas sicuti redditæ
 sunt à Græcis, quorum translatione Scriptores N. T. fue-
 runt usi, comparatio est instituenda, & notio quæ in Vete-
 ris fœderis tabulis obtinet, nisi quid obstet in adjunctis aut
 nisi illa restringatur, est retinenda. Principium hoc à no-
 bis eo magis fundamenti instar est supponendum, quoniam
 clarissime apparet Johannem dum de peccato agit & sty-
 lum V. T. imitari & notiones in illo occurrentes sequi. Sty-
 lum imitatur, per phrasin ἀμαρτίαν ἀμαρτάνειν quæ in fontibus
 ebraicis sonat חטאת חטאת atque toties occurrit in Lege
 Mosis Exod. XXXII, 30. Levit. IV, 3. 14. 23. 28. V, 6. 10. 13.
 XIX, 20. Deut. IX, 18. XIX, 19. Ezech. XVIII, 24.
 XXXIII, 16. ubi semper à græcis, eadem quam Johannes
 adhibet phrasi, redditur. Etiam si autem apud optimos
 scriptores græcos monente *Cel. WOLFIO in Curis ad locum, ex*

24
 2
 21
 2
 2
 29
 18
 16
 15



HENR. STEPHANO & J. H. MAJO talis subjunctio ejusdem vocis legatur, nec pro Hebrailmo sit habenda, non tamen inde conficitur Johannem *αττιλιζειν* & non *μωσαιζειν*. Sequitur enim notiones V. T. quando de peccato in 1. epistola agit. Phrasin emphaticam *ποιειν αμαρτιαν* quæ respondet ebraicæ *הטות השע* toties cap. III, 4. 8. 9. adhibet, quæque ut adjuncta docent ab hac *αμαρτανειν αμαρτιαν* distinctum quid indicat, sicut in ebræo codice Num. V, 6. 7. & præsertim 1 Reg. XVI, 19. ubi utraq; legitur, nostra de Simri, altera de Jeroboamo. Ut taceam conveniens hoc esse scopo Johannis, qui epistolam ad eosdem ad quos evangelium scripsit, exaravit: erant autem illi vocati ex Judæis, quos per phrasin atque notiones quibus erant assueti instruere decebat; sane voces quas de peccato adhibet diversæ *αμαρτια, ανομια, αδικια*, respondent æquipollentibus ebraicis. Peccatum adeoque intelligitur quod eadem phrasi in V. T. designatur.

§. IV.

SECUNDUM, quod præstruimus principium est, *Regula oppositionis interpretationem veram peccati ad mortem pandit.* Nititur hoc lege sanæ exegeseos valde generali; inter opposita alterum obscurum intelligitur ex altero claro. Opponuntur hic perpetuo mors & vita. Dum dubium est qualis mors indicetur, clarum hoc erit, si constet de qua agatur vita. At quænam illa sit ex adjunctis eruitur. Talis est quæ præcibus poterat impetrari pro fratre in periculo oppositæ mortis versante; quæ porro in periculum adducitur, dum quædam perpetrantur peccata, quod tamen intercessione ab aliis facta depelli potest; quæ denique certo peccatorum genere, absque spe veniæ ex justo Dei judicio perditur.

§. V.



§. V.


Subjungo reliqua. TERTIUM est, vox peccatum hic collective ponitur, non de uno aliquo & simplici facto, sed de pluribus aut specie quadam. Liquet hoc ex usu vocis ἀμαρτία in nexu dicti. Species illa pro cuius remissione erat intercedendum vs. 17. in singulari effertur ἐστὶν ἀμαρτία ἕως θανάτου. Concedunt omnes non unicum & singulare factum, quod non tendit ad mortem indicari, sed collective classem plura facta sub se comprehendentem. Urgeo regulam oppositionis iterum. Opponitur vs. 16. in singulari ἐστὶν ἀμαρτία ἕως θανάτου, est peccatum seu classis peccatorum ad mortem. Si hoc unicum esset & individuum, clarius de alia opposita specie dixisset Apostolus in plurali. Ratio autem hujus collectivæ appellationis latet in phrasi ebraica, quam ut §. III ostendi Apostolus imitatur.

§. VI.

QUARTUM est. Species illa peccatorum ad mortem non solum Apostoli tempore fuit cognita, sed & dum committebatur incurrebat in sensus & poterat discerni ab altera specie, vitam non adducente in periculum. Patet hoc quoniam diserte dicitur observari illam potuisse in committente, εἰς τὴν ἰδίαν τὸν ἀδελφὸν αὐτῆ ἀμαρτάνοντα, quin tacite injungitur attendendum esse ad illud, quo quis officio intercessionis rite posset defungi. Fluit hinc in determinatione hujus peccatorum classis factorumque ad eam pertinentium, non vage esse agendum, sed definite. QUINTUM est, de illo peccato, quod statuitur à Jobanne intelligi, constare debet, quod potuerit committi commissumque aliquando sit, fortassis haut raro, à fratribus, sive isti sint confessores, sive socii in vera fide. Etenim monela Apostoli cæteroquin nullius fuisset usus. SEXTUM est. Interpretatio illa aliis est præferenda, quæ congruit cum ratione temporum, in quibus scriptus est Liber Biblicus, statu cætus & cum nexu. Illustratione hoc principium non indiget.

A 3

§. VII.




§. VII.

Ex his positis & illustratis principiis contendimus, peccatum ad mortem esse talem delictorum speciem, quæ pœna mortis temporalis ex justa Dei judicis sententia erant luenda. Proposuit illam sententiam atque tuitus est, sed paucis, quantum novi primus *Cel. SAM. WERENFELSIUS Sylloge dissert. Theolog. pag. 470 edit. in 8* adducto hunc in finem dicto Num. XVIII. 22. ubi de חטא למות peccato ad mortem. Adoptavit illam Doctissimus AMELIUS sive PETRUS ZORNIUS in *vernaculis elucidationibus N. T. Tom. II. pag. 880.* Alio modo ex scriptis Judæorum illam ornavit *Cel. SCHOETGENIUS Horis Talmud. ad locum,* qui ex Codice Joma & Sota adducit distinctiones inter חטא sive עון peccatum quod est למיתה ad mortem, atque aliam speciem שלא למיתה quæ non ad mortem. Ad priorem refert omne peccatum, cui Deus in Lege mortem est minatus, quodque ex proæresi committitur, ut idololatria, incestus &c. sunt. Sed merentur illa specialem discussionem & uberiolem illustrationem, quam postea instituemus.

§. VIII.

In loco Num. XVIII. 22 mortem temporalem intelligi, non æternam, quanquam illa, ommissa pœnitudine, sequi possit, multo minus spiritualem, ex adjunctis dilucide apparet. Interdicitur populo, ne quisquam attentet se immittere in munus atque officia filiorum Levi, administratorum Sacrorum, ne se oneret peccato ad mortem. Ista Lex respectu muneris sacerdotalis officiorumque in utroque sanctuario observandorum erat inculcata vs. 7. Peregrinus accedens morietur, quoniam pro Sacrilego habebatur, qui involabat in sacerdotum privilegia, quod & ipsis Levitis sub comminatione mortis interdicitur vs. 3. Extenditur autem Lex ad omnes Israëlitas, ne illi jura Le-
vita-

vitarum in Tabernaculo violarent. Mortis comminatae, quæ in omnibus his locis eadem est, quænam sit species, historia Uzæ Levitæ, arcam foederis sustentantis ne rueret, ex intentione haut prava, docet 1 Par. XIV. 9. 10. Observari meretur vs. 3 & 7. absolute mortis pœnam statui, si quis Levitarum, Sacerdotum attingeret munus, sed vs. 18. mutata paululum phrasi, si quis Israëlitarum hoc tentaret, Deum minari, talem portaturum peccatum ad mortem. Uti prius repentinam & certæ exsequutioni dandam indicat pœnam mortis, sic posterius ex usu phraseos statum in quo quis sub reatu pœnæ vivit quidem, ast mortis certo habet expectandam pœnam, quapropter ipsi cum morbis & cruciatibus asperioribus, mortis præambulis, conficiendum est, conf. Num. XIV. 34 & Ezech. XVIII. 20. ubi notat esse sub reatu obnoxium pœnæ, & Levit. XXII. 9. Num. XVIII. 32. ubi portare peccatum præmittitur, & mori sequitur, atque cap. IX. 13. ubi jungitur cum pœna excidii, Exemplo ex historia V. T. id illustratur. Ulias rex violaverat jura sacerdotii, dum suffitum adolere posthabitis sacerdotum dehortationibus contendebat, plaga lepræ percutiebatur מותו יום עד usque ad diem mortis suæ. 2 Paral. XXVI. 16. 21. Uberiorem expositionem & illustrationem expectant, distinctæ phrasæ in sacris, quibus indicantur minæ judiciorum divinorum atque pœnarum, cum diversis gradibus & speciebus reatus, נשא חטאת portare peccatum suum, נשא עונו portare iniquitatem suam, & aliæ מות תמות morte mori, נכרת excindi, ut & habere sanguinem suum super se, quæ alternant, sed tamen ut distincta Levit. XVIII & XX. Sufficit nobis in præsentiarum, מות חטאת esse peccatum ad mortem temporalem in loco Num. XVIII, idque satis liquere ex argumentis adductis, cum maxime autem ex occasione hujus legis, eisque quæ illic illustrationis causa adduntur. Deprehendimus illam Num. XVI, ubi historia excidii Koræ describitur & illius occasione vs. 40 lex fertur, ne quisquam pere-



peregrinus, qui non est ex semine Aaronis, accedat ad adolendum suffitum; quæ lex Num. XVIII extenditur ad omnia sacerdotum officia. Excidium Koræ autem erat *θελάτον*, simile illi, quo Usâ peribat, in quibusdam circumstantiis. Differebat à plagis, quibus homines à Deo ordinario castigantur Num. XVI. 29.

§. IX.

Imitatum esse Johannem stylum Mosis, §. III confecimus. Possit objici Græcos quorum versione usus est phrasin hanc *ἀμαρτίας πρὸς θάνατον* non adhibere in dicto Num. XVIII. sed ebraica reddere per *ἀμαρτίαν θανατήφορον*, peccatum mortem afferentem. Declararunt illi phrasin ebraicam ista translatione, qui alias in historia Hiskiaë Et. XXXVIII. 1. *למות הלה* reddunt *ἐμαλακίθη ἕως θανάτου*, quod cum mors non fuerit insequuta fecerunt, qui cæteroque potuissent reddere *πρὸς θάνατον*. In stylo Johannis ista phrasis mortem certam, ex qua haut emergitur, indicat; dum in historia Lazari Joh. XI. 4 Servator dicit: *ἡ ἀσθενεία ἔκ ἐστί πρὸς θάνατον*, id est, ad mortem peremptoriam corporis. Idem igitur Johannes ista phrasi suetus erat indicare, quod Græci per *ἀμαρτίαν θανατήφορον*, illamque adhibet quoniam ipsi familiaris erat, ut ex Evangelio liquet,

§. X.

Adstruxi paralleliam phraseos cum Vet. Testamento. Superest ut evincam nusquam illam in Sacris adhiberi, nisi de morte temporali. Possit objici in epistola ad Romanos V & VII de *ἀμαρτία εἰς θάνατον* agi, atque spirituales æternamque seu ipsam seu ejus reatum intelligi. Sunt fateor dicta plurima, quæ illud primo intuitu videntur inferre, Rom. V. 12. *διὰ τῆς ἀμαρτίας ὁ θάνατος ἐσηλθε*, VI. 21. *ἐβασίλευσεν ἡ ἀμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ*, VI. 16. *θάλοι ἦτοι*



ἤτοι ἀμαρτίας εἰς θάνατον, v. 21. τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων (δέλων ἀμαρτίας) θάνατος. conf. & cap. VI. 23. VII. 5. 10. 13. Sed si dicta excutiantur, planum erit illa nostro haut esse parallela. Peccatum quod ibi indicatur, universum omnium genus indicat. Probant ista dicta, sicut per peccatum omnes mortis species introierunt in mundum, sic nullum esse peccatum, quod mortem quamcunque non promereatur, si Deus vellet solum pro rigore justitiæ peccata punire. In nostro vero loco distinctio ponitur inter illa, quæ mors sequitur aut non sequitur. De diverso adeoque & delictorum genere atque de diversa dispensatione divina circa peccata utrobique agitur, hinc ista parallela urgeri nequit.

§. XI.

Cum simus occupati in parallela nostri dicti investiganda, ad illam quæ in scriptis Johannis fortassis occurrit & urgeri posset attendimus, ut & inde constet, quantum differat mentio mortis ex peccatis orientis apud Johannem, ab illa in qua explicanda nunc versamur. Adhibemus præsidium pro nostra sententia ex principio 6. reliquis contentis epistolæ, adducto §. VI. Deprehendimus in dictis Johannis, in quibus mortem spiritualem & reatum æternæ ut peccati fructum & sequelam spectat, prorsus diversum inter causam atque effectum nexum, ac in nostro loco, indicari & urgeri. Joh. VIII. 51. 52 dicitur *credentem in Christum mortem nec visurum nec gustaturum*, & Joh. V. 24. ut & I Joh. III. 14. *credentem in nomen Jesu amantemque fratrem, à morte transiisse in vitam*, quod ibidem illustratur, sub mortis reatu manere quemlibet, fratrem non amantem. Si eadem ubique & in nostro atque adductis dictis esset notio mortis, sequeretur peccatum ad mortem esse id, quod impingit in fidem atque charitatem, peccatum non ad mortem tale esse, quo fides & charitas non læduntur. Sed


B

quæso



quæso quodnam est illud peccatum, quod non lædat vel directe alterutram, aut utramque? Nec hoc statuitur, quantum novi. Sed ais, illud est peccatum ad mortem, quo excutitur atque extinguitur: prorsus cum fide charitas. Nego hoc unquam fieri, ex nostræ ecclesiæ dogmate de perseverantia sanctorum. Nec hoc generali solum nitor asserto. Nequidem ista sententia potest ad dictum nostrum applicari. Fidei & charitatis plenaria extinctio, si daretur, ex facto aut factis quibusdam quin plurimis nequiret decidi. Agnoscenda esset ex intimiore cognitione status animæ, conscientiæ & desideriorum. Illam præter *καρδιογνωσιν* nemo habet; Quam difficile est & negotium periculi plenum iudicium terre de alterius & quidem fratris statu. De fratribus autem agitur in dicto à communione ecclesiæ non recedentibus, pro quibus & cum quibus supplicationes poterant fieri, quique differebant ab aliis, qui communionem deseruerant, cap. III, 19. Aliter se res habet cum apostatis ex sententia Dei Ebr. VI, 4 seq. & X, 26. Quin quam caute & juxta regulam amoris in iudicio de statu fratris peccantis sit versandum, ex lege Servatoris liquet Matth. VII, 1. *Ne iudicate.* Sed intelliguntur hic peccata atque facta in oculos incurrentia per principium 4. §. VI. Hinc factum illud fratris peccantis non est dubium aut obscurum. Remittendum esse reatum mortis æternæ ex quocunque peccatorum genere contractum, modo intercedat pœnitens confessio, asseritur cap. I, 9. Hic vero de peccatis reatum mortis contractentibus, quibus illius remissio non est promissa, agitur. Alia eapropter mortis aliæque reatus indicatur species in nostro, nempe temporalis. Diversa quoque est conditio ad remissionem, nempe in isto loco propria & pœnitens confessio, in nostro facta ab aliis intercessio. Per priorem poterat omnium remissio impetrari, per posteriorem quorundam, quæ tamen in periculum mortis illa committentem prius adduxerant.

§. XII.




§. XII.

Pergimus ad secundum principium interpretationis Legem oppositionis §. IV illustratum. Qualis vita est quæ peccanti datur, talis mors est quæ obstat vitæ. Vitam autem temporalem illam esse omnia suadent. Nullo dicto Scripturæ ostensum est unquam, fratrem intercedentem pro peccante illi dare vitam spiritualem aut æternam. Solius Servatoris hæc est prærogativa, qui & lytro & intercessione & sua potentia qua post exaltationem pollet vitam dat cum spirituali æternam. Illam Johannes toties deprædicat in Evangelio & in Epistola cap. V. 11. 12. collato Ebr. VII. 25. Nuspiam autem nec ille nec alii Apostoli Domini istam facultatem tribuunt hominibus aut vi intercessionum ab illis factarum. Catachresis esset dura, si quidem phrasi καὶ δώσει ζωὴν τῷ ἁμαρτάνοντι μὴ πρὸς θάνατον, indicaretur, propter preces suas Deus gratiam suam largiretur, per quam vitæ & spiritualis & æternæ reddetur compos, frater qui peccavit non ad mortem; quin sensus inde emergeret nullus. Remedium quæritur priori difficultati, per effugium voces καὶ δώσει posse verti impersonaliter, atque posita esse pro δαθήσεται, & dabitur. Non nego impersonales dicendi modos in Sacris cum maxime V. T. esse frequentes. Verum ad regulam, juxta quam exiguntur, requiritur, ut de persona agente nil in antecedentibus dictum sit. In tali autem constructione ac in nostro est loco, id non obtinet. Persona agens indicatur ἐι τις, conjungitur prima actio cum altera per copulam αἰτεῖται καὶ δώσει, pergitur eodem filo atque additur δώσει ζωὴν τῷ μὴ ἁμαρτάνοντι πρὸς θάνατον. Actio adeoque est continuata proficiscens ab eodem agente; Cumque nuspiam alter frater alterius salutis causa per opera & preces in Sacris dicatur, sed sæpius vitæ temporalis & convalescentiæ ex morbo gravi, ut ex dicendis planum erit, mortem solum temporalem ducimus intelligendam esse.

B 2

§. XIII.

24.
2
21
2
2
29
18
16
15



§. XIII.

Si vero intelligatur vita spiritualis aut æterna, molestiæ oriuntur, ex quibus nemo se extricabit. Dicitur per peccatum quod non ad mortem est in periculum adduci vitam, reddendam ope intercessionis. Supplicatio adeoque spectatur ut medium, quo cessante cessat effectus. Siccine Deus suspendit ab hominum fratrumque opere atque studio aliorum salutem? quod admittendum est, si supplicatio medium fuisset ad securitatem periclitantis vitæ spiritualis aut æternæ. Quot confessores potuissent perire, si forsan torpor incessisset illos, quibus fuisset orandum pro fratribus, in discrimine salutis versantibus? Cadit illa difficultas, si vita & mors temporalis intelligantur. Damnum etenim tantum haut erat, si ex negligentia, peccantes vita temporali privarentur, & tamen salus eorum esset certa. Porro vix sanus sensus posset tribui dicto, non obiter, sed in toto contextu spectato. Quid enim dat, quidque efficit, qui vitam (ex opposita sententia spiritualem aut æternam) dat, peccanti *μὴ πρὸς θάνατον* seu quem mortis spiritualis vel æternæ periculum non premit aut urget. Supponendum quoque esset per quædam peccata in discrimine versari salutem, illud posse depelli per intercedentes preces aliorum, illud quoque neglectis istis precibus augeri, & versantem in discrimine eapropter salute excidere. Quænam vero illa sunt peccata distincta ab aliis, quæ ex hypothese beatitate privant illa committentem absque remedio, & ubi in Sacris dispendium salutis derivatur ab aliorum omiſsa supplicatione? Quales & quantæ difficultates hic possent urgeri, patebit ex recensione peccatorum, quæ habentur pro venialibus aut mortalibus ab eis, qui vitam mortemque spiritualem intelligendam esse contendunt, deinceps instituenda. Si vero mors atque vita temporalis intelligantur, omnia plana sunt. Adducitur vita temporalis in periculum ob quædam peccata,

cata,



cata, quod sane fit per morbos graves, illa non sunt *πρός θάνατον* sive absque spe restitutionis mortem certam non afferunt, ut alia peccata absque remedio ullo atque spe faciunt; orat frater pro decumbente, dat vitam seu valetudinem, qua privatus fuisset alter mortique expositus, absque precibus; convalescit ille quod factum non fuisset, si aliud gravius mortem afferens peccatum commisisset, aut si precatio pro ipso fuisset neglecta.

§. XIV.

Omissis parumper tertio quarto & quinto principio, pergemus ad sextum, & ex nexu epistolæ atque statu ecclesiæ in isto ævo, sententiam nostram asseremus. In antecedentibus vs. 14. & 15. Apostolus spem fecerat, confessores exaudiendos esse, dum juxta voluntatem Dei Deum forent adoraturi. Pergit vs. 16. 17. in eadem materia de precibus. Intercedit adeoque nexus inter vs. 14. 17. cumque in binis postremis consilium detur, de ansa quando sit orandum pro alio atque quando id non conducat, idque subjungatur amplæ promissioni de certa precum exauditione, liquet vel dubia exorta fuisse, apud fideles, vel ab apostolo ut origina forsan fuisse prævisa, quæ eximere ex fidelium animis voluit, hoc monito de tempore in quo supplicationes pro aliis deberent institui, vel possent omitti. Dubia ob nexum hæc erant. Intercedimus nostris precibus apud Deum pro proximo in discrimine vitæ versante, exaudimur aliquando dum eripitur ex mortis faucibus, sed non semper dum quidam mortem subeunt, in cujus periculo, quando nos precabamur, versabantur, quid fiet de aliis nostris orationibus? ubi spes exauditionis & spei fulcrum qui frustra supplices ad cælum tetendimus manus? & quid fiet de promissionibus servatoris? Tollebantur ista dubia per indicium occasionis in qua supplicandum erat pro fratre peccante, atque spes exauditionis poterat esse firma, Applicentur hæc quæ ex nexu

B 3 eluci-


24
2
21
2
2
18
16
15



elucidavimus, ad mortis & vitæ genera, & erit planum neque ad spiritualem neque ad æternam illa quadrare, sed ad temporalem. Judicium de æterna damnatione aut vita defunctorum fratrum, rarissime certum potest formari. Neque de omnium fratrum vita aut morte spirituali satis esse possumus securi, qui corda non inspicimus, sed ex signis quæ sane quoad vitam fallacia esse possunt, uti in hypocritis sunt, judicamus. De judicio autem circa illa certo, non dubio, in loco agitur, in quo quis non ambigebat & circa peccata & circa mortem, illiusque periculum atque vitam tum restituendam tum restitutam, hinc temporalis mors & vita per dicti nexum solum intelliguntur, & occasiones in quibus de exauditione precum suarum poterant esse certi.

§. XV.

Provocamus porro ad statum atque consuetudines ecclesiæ istius temporis, ex quibus evinci potest, institutas esse supplicationes, pro restitutione vitæ & valetudinis fratrum, decumbentium ob peccata commissa, & solemniter à presbyteris vocatis ad ægrotos, & privatim à membris cœtus, invisentibus ad afflictos morbis. Indicantur istæ consuetudines Jac. V, 14. seq. Solemnis visitatio presbyterorum describitur, vs. 14. 15. privatorum autem vs. 16. Prorsus parallelus est noster locus cum vs. 16. neque enim sustinemus defendere ad officia presbyterorum respici, quoniam in nostro nil de unctione ægrotantium dicitur, & phrasîς ἐἰ τις ἰδῆ ἀδελφὸν ἀμαρτάνοντα ἀμαρτίαν, si quis videat fratrem peccantem, generatim omnes confessores sub se videtur complecti. Ut parallelia pateat, attendendum est omnia utriusque loci contenta convenire. Agitur utrobique de commissis peccatis vitæ periculum creantibus, apud Jacobum memorantur παραπτώματα consistenda ab eis qui sanari cupiebant adeoque decumbebant. Injunguntur in utroque supplicationes, apud Jacobum εὐχεσθε πρὸς ἀλλήλων, Agitur



tur in utroque de sanatione, apud Jacobum *ὅπως ἰαθῆτε*, Distinguuntur etiam apud Jacobum casus, in quibus precatio haut foret efficax, ab aliis, in quibus sanatio erat certo expectanda, dum subjungit *πολὸν ἰσχύει δέησις δικαίη ἐνεργημένη*, *multum valet precatio justi efficaci operatione in illo producta*. Emphasis insignis in voce *ἐνεργημένη* latet, qua Patres usi sunt ad designandos actos à Spiritu Dei aut ab impuro per operationem præterordinariam. Ponit autem illa conditionem valoris precum ad sanationem à Deo impetrandam effusarum, qua cessante, effectus non conspiciebatur. Erant adeoque casus in quibus precatio poterat esse inefficax, quos Johannes propius determinat, dum nempe peccatum erat *πρὸς θάνατον*, & mors, temporalis sane, ex Dei judicio imminabat certa. Poterat hoc revelari precantibus aut se ad preces accingentibus, dum *ἐνεργεία* quam alias sentiebant desituebantur. Conf. de illa *ουθονίυμ* in *Bibl. Bremensis Tom. I. p. 487.*

§. XVI.

Econtra nusquam legimus injunctas esse preces speciales, fundendas in certis occasionibus, pro vita spirituali aut æterna eorum qui delictum gravius commiserant. Amoris quidem est officium salutem proximi & focii in fidei confessione, omni modo quærere & promoveri. Injunguntur supplicationes pro omnibus omnino hominibus 1 Tim II, 1. 2. sed alio fine fundendæ. Studium correctionis fraternæ errantium præcipitur Gal. V, 1. sed instituentæ per hortationes & correptiones, at nunquam injungitur specialis intercessio præstanda in certo casu peccatorum commissorum, in aliis omittenda, neque etiam unquam promittitur ad preces pii confessoris, mortem spiritua- lem aut æternæ reatum, removendum esse ab obnoxio illis. Hinc ista interpretatio est hypothetica, qua aliud præter mortis aut vitæ temporalis genus, in nostro loco
intendi

24.
2
21
2
2
29
3
18
16
15



intendi statuitur, quæque haut congruit cum statu ecclesiæ ritibusque injunctis atque receptis isto tempore.

§. XVII.

Sic quidem existimo me satis probasse ex visceribus dicti, phrasi, parallelia, opposito, nexu atque ritibus ecclesiæ primitivæ illius temporis in quo Johannes vivebat, mortem intelligendam esse temporalem, dum de peccato quod ad mortem aut non ad mortem est agitur. Sub examen vocanda adhuc sunt quædam præsidia contrariæ sententiæ. Provocatur ad traditionem, quam ex HERMÆ *similitud. lib. III. simil. VI. §. 2.* adducit *clar. WALLIUS in notis criticis ad N. T. apud cel. WOLFIUM in curis ad locum*, ubi peccantes ad mortem dicuntur illi, qui à Deo defecerunt quique ad reliqua sua delicta id adjecerunt, quod nomen Domini nefandis insectati sint verbis, quibus regressus ad vitam per pœnitentiam non datur, peccantes autem non ad mortem, ut sequentiæ Hermæ docent, illi qui quidem seculi deliciis dediti, sed per castigationes in viam sint reducendi. Parum aut potius nihil lucis afferre hic musteus scriptor nobis videtur, qui quanquam sit valde antiquus & ab ORIGENE adductus, quam plurima tradit quæ scripturis adversantur. Visiones promit & in illis adhibet emblemata plurima, quæ nihil affinitatis habent cum illis quæ in sacris occurrunt. Neque illum ad Johannis dictum attendisse, vel inde planum est, quoniam nil in sequentibus de precibus pro eis qui non ad mortem peccarunt, dicit, quod fecisset, siquidem alibi sapius de suis pro aliis intercessionibus apud Deum loquitur. Patet ex inspectione HERMÆ & collatione dogmatum illius, quæ alibi pandit, illum doctrinæ, quam toties inculcat & urget, suppetias voluisse ferre, peccata nempe post pœnitentiam commissa esse veniæ expertia & solum unicam servis Dei concedi pœnitentiam præsertim *in Pastore l. II, mand. IV. §. 1.* ubi quicquid studeat, verbis



verbis solum non argumentis, illum excusat ab errore eruditissimus COTELERIUS. Id solum inde conficitur, negantes poenitentiae locum esse post baptismum, per peccatum ad mortem intellexisse delicta mortem aeternam absque spe veniae afferentia, & illorum classem constituisse in defectio- ne à confessione juncta cum blasphemis erga Dominum nostrum sermonibus. Sed Johannes de apostasia non agit, quoniam apostata non reputabatur in societate fratrum, neque pro illo, dum decumbebat, instituebantur suppli- cationes.

§. XVIII.

Quod si vero ex traditione antiquae ecclesiae, lux sit ac- cedenda phrasi Apostoli, clariorem ex alio apocrypho af- feremus. In Testamento XII. Patriarcharum, antiquissimo mo- numento, quod Cael. GRABE inseruit *Spicil. Patrum Sec. I. pag. 129. seq.* & meritissimus J. A. FABRICIUS *Cod. Pseudepigr. V. T. vol. I. pag. 496. seq.* in Testamento Isachar §. VII. sic legitur: *ε' τ' β' ε' τ' ω' ν' ε' π' μ' ι' ε' γ' ω' . Κα' ι' ε' κ' ε' γ' ν' ω' ε' ν' ε' μ' ο' ι' α' π' α' ρ' τ' ι' α' ν' ε' ι' σ' δ' α' ν' α' τ' ο' ν' .* Centum viginti duorum annorum sum & non novi in me peccatum ad mortem. Recenset postea varias peccatorum species omif- sas, cum virtutibus quibus studuerat. De peccatorum spe- ciebus deinceps. Planior hujus scripti est stylus quam HERMÆ. Adductum quoque jam est ab ORIGENE sapitque stylus seculum II. nisi finem primi, ut satis vero reddi- dit simile CAVEUS *Hist. Litter. Part. II. p. 29.* cum FABRICIO *Lib. cit. pag. 759.* quibuscum etiam consentio circa Authorem, Christianum Judaizantem, quamquam GRABIUS librum tem- pore Ptolemæi jam extitisse & postea à Christiano inter- polatum esse, probare satagat, sed haut feliciter p. 134. & apud FABRICIUM pag. 503. Incidit adeoque in tempora Johan- nis, cumque scriptus sit ab homine ejusdem gentis, ex qua oriundi erant illi ad quos Johannes sua dabat, eodemque stylo & lingua quibus illi utebantur, planius revelat quid inter Judæos, Judaizantes, & Christianos ex Judæis, imitan-

C tes


24
2
21
2
2
29
18
16



tes stylum V. T. isto seculo fit indicatum phrasi ἀμαρτίας
 τις sive πρὸς θάνατον. Temporalem indicari, conficitur ex
 mentione adjecta provectæ ætatis. Æternam non intelligi
 ex paulo præcedentibus §. VI. liquet, ubi Häschar filiis suis
 suadet, ut dum peccaturi essent, velociter revertantur ad
 Deum, quoniam misericors est; liquet id quoque ex reli-
 quis scripti contentis, in quibus varia de pœnis temporali-
 bus immixtis in ultionem ob commissa peccata, leguntur.

§. XIX.


Adducit WOLFGANGUS FRANZIUS *de interpretatione S. S. p.*
158. seq. in subsidium sententiæ, mortem æternam cum pec-
 catis eo ducentibus & in illam detrudentibus intelligi, plu-
 rima dicta ex præcedentibus epistolæ, in quibus dicitur:
genitum ex Deo PECCATA NON FACERE, ° NEC POSSE PECCARE
c. III. 9. sed mandata Dei servare; Quisquis odit fratrem esse homici-
cidam, & homicidam non habere VITAM ÆTERNAM in se manen-
tem c. III. 15. Qui habet filium HABET VITAM, qui non habet fi-
lium VITAM NON HABET cap. V. 12. ut & alia. Ex Evangelio
præterea adducit Joh. VIII. 21. 24. ἀποθνήσκει ἐν ταῖς ἀμαρ-
τίαις ὑμῶν, in PECCATIS vestris MORIEMINI, & cap. IX. 41. ἡ
ἀμαρτία ὑμῶν μένει, peccatum vestrum manet. Alia quæ
longius ac adducta abeunt, mittimus. Ex horum dicto-
rum collatione id studet efficere, peccatum ad mortem com-
mitti ab isto, qui genitus non est à Deo, qui semen Dei in sese non
retinet, qui contra conscientiam peccat, & in illo statu perdurat, qui se
nunquam purificat nunquam exercet justitiam &c. & qui animo de-
preccandi & deponendi culpam desitutus est. Sic merum esset
peccatum irrogenitorum, & obstinatorum in statu perverso.
Verum ista quæ instituitur parallelia cum nostris nec
congruit, nec quicquam illustrat. Constructio phrasium
prorsus est diversa. Differunt quoque res. Peccata illa de
quibus in istis dictis agitur sunt quælibet quæ irrogeniti &
obstinati, quia in plerisque istorum locorum, quæ ei qui
 Christo



Christo nomen non dederunt committunt, in nostro de distincta classe certorum peccatorum quæ à fratribus committi poterant agitur, ut mittam alias discrepantias quas §. X. uisi. Nexus quem cum verbis paulo præcedentibus indicavi §. XIII. propior est & rem magis illustrat, quam qui ex remotis dictis petitur & parallelia nostri loci cum Jac. V. 16. & quoad verba & quoad rem magis congruit.


§. XX.

Inquirendum nunc est in species distinctas horum peccatorum, & illam quæ mortem temporalem absque spe remissionis afferebat, & quæ vitæ quidem periculum minabatur, sed tale quod precibus poterat depelli. In hac inquisitione nos deservunt quicumque de morte temporali cogitarunt, cum reliqui, de quorum sententiis deinceps, vel diserte peccata definiant, vel conditionibus illa circumscribant quam plurimis, quæ cum plerumque redeant ab actibus peccati ad statum, intentionem, durationemque seu perseverantiam in peccando, peccatorum utrumque genus adeo reddunt perplexum, ut de neutro unquam constare potuerit. Sic instituit EPISCOPIUS *ad b. l.* ex cujus proluxa & tot limitationibus circumscripta disputatione, vix novimus quænam peccata hæc in abstracto sint, difficilius multo dignoscenda, si in concreto seu in persona committentium considerari debeant. Securam existimamus nos inflexuros viam, si prius ex dictis & exemplis scripturæ collegerimus, peccata ob quæ vel vita periclitabatur, vel mortis sive excidii pœna sequuta est, & postquam dispeximus de discretiva quadam illorum qualitate, inquiremus an & quatenus talis inventus distinctionis illorum character possit applicari ad illa, quæ dicuntur ad mortem.



§. XXI.

Deum poenis temporalibus, per quas quoque cogitur, eis obnoxius, vitæ discrimen subire, animadvertere voluisse in peccantem graviter adversus litteram decalogi, puto facile ex comminationibus contra talia delicta crebro in sacris obviis, posse confici. Idololatriæ crimen, si erat publicum, ulciscendum erat משפט מות iudicio capitali ab hominibus infligendo Deut. XIII, si vero occultum exponebat committentem maledictioni Deut. XXVII. 15. Pœna Iconolatriæ restringitur in præcepto ipso ad posteros & generis extinctionem, illustratur exemplo familiæ Jehu 2 Reg. X. 30. 31. XV. 12. Es. XL. 24. 25. collato nexu. Tertio præcepto additur comminatio, sed generalis, specialius elata Zach. V. 4. De neglectu quarti vindicandi partim à iudicibus Num. XV. 32. seq. partim à Deo legimus Ezech. XX. 12. 13. & 21. Quinti, nisi ulcisceretur à iudicibus, pœna, ex oppposito adjectæ benedictionis, prolongationis dierum, eruitur, dierum nempe decurtatio. Sexti vindictam docent crebræ comminationes factæ culpis sanguinum, de talione à sanctissimo numine infligenda, Es. IV. 4. Ezech. VII. 23. & 27. Scortatoribus & mœchis qui præceptum septimum violant, iudicium divinum denuntiatur, quod absolute & per se non est æternum, quoniam pœnitentiam non respuit, sed temporale Ebr. XIII. 4. Vindex est Deus iudiciis similibus, adversus prævaricatores contra præceptum octavum Zach. V. 4. & 1 Thess. IV. 6. Ultionis delictorum contra præceptum nonum, vitæ & valetudini minacis, rationem deprehendimus ex oppposito benedictionis qua commendatur illud præceptum Ps. XXXIV. 3. 1 Petr. III. 10. Quin quælibet adversus leges secundæ tabulæ, sive amorem proximi, commissa peccata, vitam in periculum adduxisse, ex ratiocinio Pauli conficitur Eph. VI. 2. Ibi enim quintum præceptum appellat primum quod promissione munitum est. Observarunt passim interpretes primum




primum habere suos numeros qui sequuntur, adeoque promissionem ad reliqua præcepta esse extendendam, ut circa nonum fit in locis modo adductis; oppositam ideoque comminationem obstantem longævæ vitæ, id est mortis repentinae aut maturæ, vel illius periculi, manere legum istarum transgressores. Sic species peccatorum, ob quæ vita in periculo ex Dei vindicis iudicio potest versari, recensuimus, nondum autem liquet quænam sint ad mortem absque remedio. Recensita talia esse nequit evinci, quoniam nusquam id additur atque obstant quædam. Obstat in nexu loci nostri vs. 17. *πάντα ἀδικία ἀμαρτία ἐστὶ καὶ ἐστὶν ἀμαρτία ἢ πρὸς θάνατον*, omnis iniustitia est peccatum, verum datur peccatum non ad mortem. Iniustitia committitur adversus præcepta tabulæ secundæ, ex illa autem classe cum sint ἢ πρὸς θάνατον, alius quærendus est character distinctivus peccatorum mortem temporalem, absque spe remissionis inferentium. Addo præceptum septimum sub comminatione iudicii divini inculcari. Pessima peccatorum adversus id commissorum species est incestus. Deprehendimus exemplum illud committentis 1. Cor. V. 1. Irrogabatur ei pœna, qua vita & valetudo exponebantur vs. 5. Neque tamen morte puniebatur, restitutus & receptus in cœtum 2 Cor. II. 5-8.

§. XXII.

Consideranda sunt eapropter alia peccata, quæ mortem temporalem post se traxerunt, juxta testimonia utriusque Testamenti. In Novo primo clarissimum præ reliquis occurrit, abusus S. Cænæ, seu usus indignus in cœtu Corinthiorum 1 Cor. XI. Pœna erat *κρίμα* iudicium divinum. Temporalem illam fuisse definitio addita vs. 32. docet: *dum enim iudicamur, castigamur à Domino, ne cum mundo condemnemur.* Concernebat adeoque non reprobos, sed salvandos, [verum delinquentes. Forma pœnæ vs. 30. indicatur multi infirmati sunt, decumbunt, & haut pauci diem

C 3 obie-


24
2
1
21
2
2
29
3
18
16
15



obierunt, sive dormiunt. Peccatum quidem videtur designari ad mortem, & sic si non character, tamen species inveniri. Verum re accuratius perpenſa, exiſtimo indicari ſolum peccatum, vitam committentis in periculum adducens, quoniam infirmorum & decumbentium additur mentio, qui ſane ſupererant. Unde autem copia defunctorum? Non ſane ex peccato venia experte, ſed ex defectu remedii precationis pro decumbentibus, quod Johannes commendat. Eo deſtituebantur Corinthii, morti vicini ob indignum S. Cœnæ uſum, qui partium ſtudiis diſtrahebantur & diſſidiis inteſtinis quæ Apoſtolus in antecedentibus reprehendit, finem ſacræ Synaxeos invertebant prorfus, ob quæ interceſſiones mutuæ pro infirmis ceſſabant. Peccatum adeoque id reputo ad illorum claſſem, quibus remedium poterat afferri per preces.

§. XXIII.

Ananiæ & Sapphiræ peccatum ad mortem ſine ſpe veniæ fuiſſe ex eventu ſatis liquet Act. V. ſ. 10. Inquirendum eſt, an in illo quicquam lateat, quod nos ad Characterem ducat. Video id in cauſis, ex quibus Petrus commiſſum delictum grave eſſe pronuntiat, quæ procul dubio cauſæ quoque mortis fuerunt. Urget Apoſtolus vſ. 3. quod Satanæ eos impleverit, ψεύσασθαι σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, addit vſ. 4. εἰ ἐψεύσω ἀνθρώποις ἀλλὰ τῷ Θεῷ, NON *mentitus es* HOMINIBUS, SED DEO. Sapphiræ objicit vſ. 10. *illam tentasse* SPIRITUM DOMINI. Peccatum adeoque Petrus indicat adverſus Deum commiſſum. Id quod contra Deum erat urget, & diſtinguit à delicto adverſus homines utpote leviori. In loco Num. XVIII, 22. quocum noſtrum conſultimus §. VIII. violatio quoque indicatur rerum, quæ Deo erant ſacræ & reſervatæ. Hinc character ille in iſto quoque loco latet. Deprehendo porro exemplum defuncti in peccato Num. XXVII. 3. ubi filiæ Zelophechadi, deſiderantes



rantes patrimonium ajunt, pater noster *במחטא* in peccato suo mortuus est, utque illud recte intelligatur, indicant illum non fuisse rebellioni Korah implicitum. Aliud igitur commiserat peccatum, illud nempe quo adversus Deum insurrexerant Israëlitæ murmurantes in deserto, qui omnes, excepto Josua & Calebo, diem obibant in deserto, dicitur enim expresse in initio versus, *pater noster obiit in deserto.* Describitur prolixè illud peccatum cum pœna sequuta, illiusque causis Num. XIV. Peccatum dicitur *blasphemia in Deum* & *dissidentia verbi atque promissorum illius*, vs. 11. *tentatio Dei*, vs. 22. *murmura contra Dominum*, vs. 27. *rebellio contra Deum*, vs. 35. quæ, ut nexus docet vs. i seq. indicat motus excitatos contra divinam dispositionem, de tempore mediisque quibus Israëlitæ erant ducendi ad occupationem promissæ hæreditatis. Pœna dicitur *morientur, & corpora cadent in deserto*, vs. 29. 32. 35.

§. XXIV.

Ista sunt potissima, in utroque testamento occurrentia, mortis temporalis peccatorumque illam promerentium exempla, quæ conferri possunt cum dicto nostro. Reliqua enim vel hæctenus, nobis saltem, sunt obscura, vel solum sub lege cærimoniali locum habebant, neque in fratres confessoresque Christi cadebant. Maxime attendendum est ad peccatum murmurantium Israëlitarum in deserto, quoniam illud toties in scriptis Apostolorum urgetur, tanquam tale, ad quod committendum primi confessores tentabantur, atque quidam erant seducti, quibus pœna similis annuntiatur. I Cor. X. 4 seq. monetur, illa quæ attinent prostrationem istorum in deserto, qui Deo displicebant, contigisse *eis τῶπων* seu exemplum ad monelam, quod & vs. 11 urgetur. Recensentur peccata Israëlitarum, ob quæ Deus mortem temporalem, vel quibusdam ex cœtu vs. 7. 8-9. vel omnibus v. 10. infixerat. Porro Ebr. III. 16 seq. idem

24
2
2
2
29
3
18

16
15



idem exemplum urgetur & *ἀπιστία* spectatur ut formale peccati ab ipsis commissi. Exempla quoque illud peccatum committentium, qui tamen Christo nomen dederant, præsertim ad illud seductorum à pseudodoctoribus, adducuntur Ep. Judæ vi. 5 & 2 Pet. II. 12. Fateor equidem in adductis locis varia cumulari peccata, quæ differunt inter se respectu delicti, formæ & sequelarum. Attamen una species murmurum contra Deum viasque providentiæ illius, simile ei, quod Israëlita commiserant ad mortem, Num. XIV. distincte satis urgetur. Pro idololatria & tentatione 1 Corinth. X. 7. 8 Moles intercesserat, nec plaga necaverat omnes, qui delictum commiserant, hinc species peccatorum, pro quorum remissione orandum est, indicant; Verum pro rebellione ista contra Deum, de qua Num. XIV non amplius poterat intercedere, neque decretum divinum, corpora illorum, qui insurrexerant contra Deum, in deserto esse conficienda, mutari poterat.

§. XXV.

Formam adeoque peccati mortem temporalem afferentis in primitiva ecclesia, constituit. 1) Quod adversus Deum committebatur, qualia illa omnia sunt, quæ §. XXIII adduximus, quorumque præ aliis gravitas urgetur 1 Sam. II. 25. & Num. XV. 30. 31. 2) Quod vias providentiæ Dei culpabat ex incredulitate, promissiones implendas esse, præsertim in rerum circumstantiis difficilibus & molestis. Hæc latent in peccato Num. XIV descripto atque in facto Ananiæ & Sapphiræ, qui ex diffidentia argentum celaverant eoque Spiritum sanctum tentaverant; hinc in dictis allegatis ex epistolis ad Corinthios & Ebræos mentio fit *ἀπιστία* & *ἀπιστία*. 3) Quod dura verba, in quibus blasphemia siquidem non formalis, tamen materialis latet, in eo effundebantur adversus Summi Numinis providentiam, qualia Num. XIV deprehendimus, & pseudodoctoribus obji-



objiciantur, 2 Pet. II. 10. Ep. Judæ 8. 10. Committi tale peccatum poterat in cœtu primorum confessorum. Abneganda erant temporalia plurima nominis Christi causa, & dura multa perpetienda. Urgebant illos hostes & persecutores. Minabantur confessoribus, Instabat dies visitationis severioris, 1 Pet. II. 12. Sentientes autem illas molestias tentabantur ad diffidendum Deo & animum abjiciendum, dumque, quod procul dubio haut pauci vocatorum ex Judæis pro præjudiciis suæ gentis speraverant atque præsumserant, læta ipsis concedenda esse fata sub regno Messæ, id non cernebant deduci in effectum, sed contrarium experiebantur, præsertim si à pseudodoctoribus seducebantur, ac in transversum indomitis animi affectibus, ex concupiscentiis & afflictionibus irritatis, poterant abripi eousque, ut vias Dei culparent, verbis in Deum injuriis, nec tamen propter obstans lumen convictionis, de corruptione religionis inter Judæos & Ethnicos, atque de veritate religionis Christianæ, ab illa deficerent. Hinc Apostoli in epistolis ad vocatos ex Judæis scriptis, maxime hortantur ad fiduciam, constantiam, & patientiam, atque suppressionem omnium perversorum motuum animi adversus Dei vias, molestiasque exantlandas. Sed superest 4). Planum fit, peccata ista, contra quæ adeo serio hortantur Apostoli in adductis locis 1 Corinth. X. Ebr. III. 2 Pet. II. & in Epist. Judæ, quæque cum crimine Koræ atque delictis, in quæ inciderunt Israëlita, ex seductione Bileami, conferuntur, si locorum nexus considerentur, patrata esse à sectariis, dogmatibus suis puritatem religionis commaculantibus. Gnosticos illos esse, interpretes omnes, qui faciem istorum temporum inspexere, satis ostenderunt. Scatent antiquissima monumenta testimoniis & indiciis quam plurimis, criminum & βδελυγμάτων illorum, qualia quoque in epistolis septem apocalypticis, diserte valde deprehenduntur. Vitio quidem vertitur interpretibus N. T. qui ubivis fere ubi refelluntur & culpantur

D

errones



errones atque scelesti, se gnosticos deprehendere sibi videntur, quod ad illos referant, quæ illos attinere ex monumentis historiæ Ecclesiasticæ, dilucide asseri nequit. Verum quando id fieri potest, atque ex nexu locorum liquet, istos primogenitos errorum indigitari, certum quoque est interpretem ad illos haut attendentem, verum dictorum sensum neutiquam declarare. Quanquam igitur non in omnibus assertiamur Doctissimo HENR. HAMMONDO, qui in *dissert. præcæmiali, præmissa quaternioni de juribus episcopatus, cap. III seq.* gnosticorum uti in Sacris tangitur historiæ, erudite illustravit; liquet tamen satis ex assertis ab ipso, gnosticis præter perversa dogmata imputari, quod contra Apostolos Spiritumque sanctum in illis loquentem & per illos operantem rebellarent, & præsertim metu persecutionum molestiarumque à Christianis confessoribus perperendarum, idololatriam cum carnis impuritatibus nefandis, inter adiaphora numerarint, neque abstinuerint à cædibus atque blasphemis in Dominum verbis, Johannem istorum hæreticorum mores & doctrinam in epistolæ antecedentibus taxare, contenta cap. IV & initii V docent, quæ egregie ab HAMMONDO illustrantur. Sæcæ quidem authores à cœtu recedebant, ast non cessabant seducere confessores & fratres, de quibus 2 Pet. II. 18. *δρακόνες ἐν ἐπιθυμίαις σαρκὸς ἐν ἀσελγείαις τὸς ἑνὸς ἀποφυγόντας, τὸς ἐν πλοίῳ ἀναστρεφόμενος.* Adeoque si quis ex gnosticorum seductione commiserat, idololatriam, fugam molestiarum, nefandas libidines in societate errorum, rebellionem contra Spiritum sanctum in Apostolis operantem, blasphemamque effutierat verba, commiserat peccatum ad mortem. Notum illud satis esse poterat, cum pseudo-doctores haut essent ignoti neque prava eorum dogmata, quæ atro carbone ab Apostolis notabantur. Hac nostræ sententia sequentium verborum sensus specialis planus redditur: *Qui ex Deo genitus est non peccat, nempe ad istorum morem, se enim præservat, vitando gnosticorum consortia,*
Et malus



Et malus non tanget illum; ut & vl. 21 dehortatio ab idololatria, circa quam indifferentes erant gnostici. Istiusmodi monelis Petrus claudit alteram epistolam, ut confessores se præstarent immunes à seductione ἀθέσμων. Et fallor, aut Jacobus V. 20 per πλάνην ὁδοῦ ἀμαρτανῆ, errorem viæ peccatoris, eandem intelligit seductionem, ex qua si quis quenuquam liberet, is dicitur σώζειν ψυχὴν ἐκ θανάτου.

§. XXVI.

Supereft, ut ostendam Deum pœnis temporalibus mortibusque isto tempore, nequitias istorum hominum ulcisci solitum fuisse. Quædam huc facientia jam ex Sacris possunt exculpi. Certe ταχυνὴ ἀπώλεια, cui illos se ipsos obnoxios reddere dicit Petrus 2 Ep. II. i. quanquam exitium sempiternum simul indicet, absque morte repentina nequit concipi. Easdem notiones menti oggerunt phrases, quibus illorum pœna pingitur vl. 12. dum comparantur brutis, natis ἐν ἀλώσει καὶ φθορᾷ, ut capiantur Et corrumpant, cui subjungitur ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται, in corruptione sua putrescent, quibus gemina habet Judas vl. 10, cujus phrasis, dum seductores illos appellat δένδρα δις ἀποθνήσκοντα, arbores bis emortuas, non nisi ex duplici excidio temporali & æterno intelligitur. Sed clariora suppetunt ex IGNATII epistolis, antiquissimo monumento, cujus author cum Apostolis versatus est, & ut traditio fert, Johannis fuit discipulus, illius adeoque doctrinarum apprime gnarus. Is dum adversus impuros, libidinosos, molestias ob nominis Jesu confessionem fugientes, idololatria se commaculantes pseudodoctores veræque doctrinæ corruptores, negantes Jesum carnem ex Maria assumisse, (atque eapropter gnosticos eosdem quos Johannes IV. i. reprehendit) toties ecclesiam hortatur, clare de pœnis divinis, per quas interibant, loquitur. In Epistola ad Smyrnaeos scribit, de negantibus Dominum carnem gestare, quos reprehenderat §. VII. ὁ δὲ τῶτο μὴ λέγων τελείως αὐτὸν ἀπήρηται

24
2
1
21
2
2
29
3
18
16
15



ων ΝΕΚΡΟΦΟΡΟΣ. Τα δὲ ὀνόματα αὐτῶν ὄντα ἀπίστα ἐκ ἔδοξε
 μοι ἐγγράψαι: Qui vero id non dicit, prorsus eum negavit &
 IPSE CADAVÉR GESTAT. Nomina vero eorum cum sint infi-
 delia, non visum est mihi scribere. Negare & funus sive cacla-
 ver portare junguntur non sine causa, conf. COTELERIUS,
 qui ex aliis patribus adducit hæc illustrantia. Pergit in ea-
 dem Epistola §. VII. οἱ ἐν ἀντιλέγοντες τῇ δωρεᾷ τῆ Θεῆ συζη-
 τῆντες ἀποθνήσκουσιν, hi ergo contradicentes dono illi Dei, ALTER-
 CANTES MORIUNTUR. De eisdem in Epistola ad Ephesios scri-
 bit, & quidem de sceleribus, quæ perpetrabant §. XVI.
 οἱ ὁμοφθόροι βασιλείαν Θεῆ ἔ κληρονομήσουσιν. Εἰ ἔν οι κατα-
 πάρα ταῦτα πράσσοντες ἀπέθανον πῶσω μάλλον ἐάν πῆσιν Θεῆ
 ἐν κακῇ διδασκαλίᾳ φθίσῃ: Fæminarum corruptores (nisi quid
 magis infandum indicetur) regnum Dei non hereditabunt.
 Si autem ei qui secundum carnem hæc operati sunt, morte sunt affecti,
 quanto magis si quis fidem Dei prava doctrina corrumpat, de tali
 subjungit, quod ἑνωπαρὸς γενόμενος εἰς τὸ πῦρ τὸ ἀσβεστον χωρήσει,
 ὁμοίως καὶ φθίσων αὐτῆ, inquinatus factus in ignem inextinguibilem
 ibit, sicut & qui ipsum audit. Æternum adeoque exitium pseu-
 dodoctori certo manere una cum seducto, præter mortem
 temporalem indicat,

§. XXVII.

Sic puto satis liquere ex statu & facie primitivæ Eccle-
 siæ, quænam distinctorum peccatorum ad mortem, utpote
 quorum varias species ex adductis distinguere licet, fuerit
 forma. Quæritur, an adhuc possint committi, atque an
 eadem adhuc obtineat dispensatio divinæ justitiæ in sequen-
 tibus & præsentibus Ecclesiæ temporibus? Meretur illa
 quæstio discussionem, quam reservamus aliæ occasione,
 dum judicia divina temporalia adhuc, quin olim & semper
 durantia, divinamque circa illa dispensationem, illustra-
 bimus. Inpræsentiarum id solum monemus, dari quam plu-
 rima exempla mortium, ex quibus pellucet iudicium divi-
 num, inflictarum eis, qui ex carnali affectu contra con-
 scientiæ



Scientiæ lumen atque stimulos, verbum Dei, religionem & providentiam blasphemis impetunt impugnantque verbis, ut alios secum in eundem seducant labyrinthum; catalogumque de mortibus istiusmodi incredulorum multo majorem posse confici, ac ille LACTANTII est de mortibus persequutorum.

§. XXVIII.

Restat ut brevibus expediam aliorum sententias, qui peccatorum ad mortem species, aliter ac nos indicaverunt. Clariss. Altorfensium Theologus J. B. BERNHOLDUS in Dissert. ad h. l. edita Altorf. 1732. illas diligenter collegit, apud quem legi possunt. Quæ ex Patribus antiquioribus adducit sub obscura sunt, quæque SUICERUS in Thesauro Ecclesiastico Tom. I. pag. 214. habet, ex recentioribus proferuntur. Reliquas per classes recensebimus. 1) Qui per illud peccatum, intelligunt blasphemiam in Spiritum sanctum, eo premuntur incommodo, quod illud referant ad unicum factum, contra asserta à nobis in principio 3. §. V. Præterea quod supponant illud posse committi Christo non amplius in terris versante, atque à fratre & confessore, id quod evinci nequit, si quidem formale hujus peccati plene indicetur Math. XII. 24 & Marci III. 30, ubi impingitur adversariis Servatoris. 2) Qui per illud intelligunt Apostasiam à confessione fidei, nequeunt indicare, quo modo Apostatæ dici possint fratres, aut pro eis supplicationes institui. 3) Qui perseverantiam in peccatis ad finem usque vitæ ponunt, indicare haut valent, quo pacto fratres potuerint prævidere, peccantem in obstinatione ad finem vitæ perduraturum, quod prævideri debuit, si intercessionis officium ex Apostoli monito rite observandum fuit. 4) Qui denique gravia atque atrociora peccata indefinite hic ponunt, ei majori se onerant molestia, cum nequeant evincere gravibus delictis spem veniæ a Deo esse prorsus negatam, & quod volunt, pœnitentiæ in illis locum non esse.

Tantum

24
2
21
2
29
3
18
16
15

Corollaria Defendentis.

I.

Quoniam de canonica autoritate quorundam librorum N. T. in quibusdam coetibus primitivæ Ecclesiæ dubitatum sit, hoc tamen non obstat, quominus tuto à nobis pro canonicis recipi possint.

II.

Consequentia ex S. S. rite deducta æque pro Dei verbo, ac, quæ totidem verbis in Scriptura proponuntur, veritates habendæ sunt.

III.

Christi obedientia, quamvis per eam pro se ipso aliquid meruisse recte dicatur, tamen potissimum fuit vicaria loco aliorum.

IV.

Ultimus finis conditi mundi non fuit revelatio gratiæ & justitiæ, sed potentia, sapientiæ & bonitatis.

V.

Nisi esset infernus, Deus neque sapiens, neque bonus esset.

VI.

Sunt gradus in futura felicitate piorum.

VII.

Dantur præparationes ad conversionem ordinariam, & licet illam gratiæ in solidum tribuamus, nequidem tamen per illam quicquam in anima fit per saltum.

VIII.

Res sensu morali indifferentes abstracte spectatas dari concedimus;

IX.

Quamvis, simulac in actum deducuntur, indifferentes manere cessent.

X.

Rerum futurarum contingentium plurimarum ignorantia ingentis beneficii loco à nobis pro statu nostro præsentis reputanda est.

XI.

Primi Ecclesiæ Reformatores legitime Doctorum Ecclesiæ publicorum munere functi sunt.

XII.

Donum prophetiæ stante templo secundo adhuc duravit.

XIII.

Iris jam ante diluvium obtinuit.

QUID. VIDEO?

JUVENEM. ORNATISS. VIRUM. DUABUS. CINCTUM. VIRGINIBUS.

QUARUM. UNA.

DEMISSIS. OCVLIS. FACIEQUE. MODESTA. MONET,

SURSUM. CORDA.

ALTERA.

MEDITANTE. VULTU. PERSPICACI. FRONTE. EXCLAMAT.

HORA. RUIT.

QUENAM. ILLA? PIETAS.

QUAE. HÆC? ERUDITIO.

QUIS. IN. MEDIO. CONSISTENS. EST. NOSTER. NI. OMNIA. FALLUNT,

CRAMERUS.

EST! APPLAUDITE. CIVES. EFFUNDITE. VOTA.

O. FELICEM. QUI. AMBAS. ELEGIT. DUCES.

Amicitia causa posuit

J. A. G. Schniebert,

Magdeb. SS. Theol. C.

24.
2
21
2
2
29
3
18
16
15

Das Schicksahl will nicht mehr vergönnen,
Dass wir beisammen bleiben können:
Mein Freund! Du wilt aus Bremen gehn,
Und andre Dertter auch besehn.
Doch wilt Du erst Dein Wissen zeigen.
Eolt ich wohl können stille Schweigen?
Nein! Dem Studieren müsse blühen,
Des Himmels Segen nach sich ziehn.

J. C. Troldenier,

Bernburg, Anhalt. SS. Th. C.

Accipe, Pieridum dignissime cultor! amoris
Accipe quæ nostris sunt documenta sacri
Pulpita Musarum cum scandas docta catervæ,
Plausus læta manus jam resonare facit.
Gratulor atque Deum flagrantibus obsecro votis:
(Annuat & votis his Deus ipse piis!)
Flaminis adspiret studiorum cursibus aura,
Ut gregis evadas duxque comesque pius!
Et Te larga beent virtutis præmia sanctæ,
Ut semper felix terque quaterque sis!
Hæc precor, hæc calidis fundo suspiria votis
Vive diu felix! vive memorque mei!

*Hiscæ paucis Prænobilitiss. Domni. Desendenti qualia-
cunque fausta gratulabundus accinit*

*integerrimus & observantissimus
ejus Amicus*

Christoph. Gronau,

Bremen, S. Litterat. Cult. Oppon. O.

Laudando Cathedram nisi Te scandere cerno!
Instabit, FRATER, gloria sponte Tibi.
Gaudia percipiens ulro Tibi gratulor, atque
Progressus faustos apprecor in studiis.
Solicito semper, palmas ad sidera tendens,
Assiduis votis Numinis auxilium;
Auspicio comitet fausto lætoque labores,
Te saluum servans incolumemque diu.

J. H. Cramer,

Leera Frif. Orient, Sac, Lit, Cult.

